

N. H. II, 303.

h. 63, 2.

X 187 9841

II l  
472

I. N. J.  
TRACTATUS  
DE  
EXCUBIIS,

vom  
Macht = Recht/  
Variisque earum speciebus, mo-  
ribus cum primis Germaniæ in-  
troductis.

O. & S.  
AHASVERI FRITSCHI,  
J. U. D. Com. Pal. Cæs. Confil. aul.  
Schwarzb. & c.

J E N A E,  
Sumptibus JOHANNIS Zieschen / Bibliop.  
1 6 7 3.



T 5



100. 100.

TEAGTATIS  
EX-GURBIS

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.





62  
*PRÆFATIO.*

**C**um superiore æstate aliquot dierum otium studiis privatis concederetur, visum fuit, illud elaborationi præsentis Discursus practici, de **EXCUBIARUM JURE**, impendere. Restabant adhuc nonnulla, quæ Tractationi huic jungenda erant, sed otii concessi angustia impedimento fuit, quo minus supplenda suppleri potuerint. Interim Benivolus Lector hisce contentus *optimè* utatur fruatur. *Rudelstadii. d. 22. Decembris clccl*  
**CLXXI.**

*IN-*

# INDEX CAPITUM.

## CAPUT I.

De Excubiis in genere.

### CAP. II.

De Excubiarū, cum primis urbanarū, necessitate.

### CAP. III.

De Vigiliis nocturnis.

### CAP. IV.

De personis, quæ excubiarum onus suscipere tenentur.

### CAP. V.

De his, qui ab onere excubiarum immunes,

### CAP. VI.

De Excubiis castrorum,

### CAP. VII.

De excubiis apud illustres personas defunctas præstandis.

### CAP. VIII.

De custodiâ hominum occisorum.

### CAP. IX.

De custodiâ incarceratorum & arrestatorum.

### CAP. X.

De custodiâ messium, vindemiarum, hortorum, sylvarum &c.

### CAP. XI.

De quibusdam extraordinariis excubiarum generibus.

### CAP. XII.

De excubiis militaribus.

I, N. 3.



I. N. J.  
TRACTATUS

DE

EXCUBIIS.

CAPUT I.

DE EXCUBIIS IN  
GENERE.

SUMMARIA.

*Excubia undè dicta? n. 1. & seqq.*

*Voc. Germ. Wachen/undè? n. 2.*

*Quid excubia? n. 4.*

*Munera quotuplicia? n. 5. & seqq.*

*Excubiarum genera. n. 11.*

I.

**E**Xcubiæ ab *ex* & *cubare*, quod i-  
dem est ac *recumbere* vel *adcumbere*. *Excubare* igitur quoad nomen est *extrà* seu *foris* *cubare*, vel *extra cubile* esse, & *vigilare*. *Vigil* custos *nocturnus visu agilis*. Papias. Aut vox *Vigil* ex *vi agere* composita est. Sunt igitur *Excubia* *extracubantium vigilie*, Græcis *Νυκτοφυλακία*. Germanis dicuntur *Wachten*. Saxon. *Waken* à <sup>2</sup>  
*vigeo*, ut vult Martin. in *Etymolog.* indè procul dubio  
A Ger-

2.  
3 Germanicum *wacher*. Verbum *Vigilare* notat *wachen*/  
*custodire* autem est *bewachen*/*hütten*/ quod *vigilias* in-  
cludit.

II.

4 Sunt autem nobis heic *excubiæ*, in *latiore signifi-*  
*catu*, opera vel munus personale, quo quis *vigilem* age-  
re, & *nocturnam* vel *diurnam* rei vel hominis *custodiam*  
suscipere tenetur.

III.

5 Diximus *Excubias* esse munus personale. Sunt  
scilicet *Munera* in genere, quæ necessariò subimus lege,  
more, imperiove ejus, qui jubendi potestatem habet.  
*l. 214. de V.S.* Distinguuntur ea in *personalia*, *patrimo-*  
*nialia*, & *mixta*. *l. 1. pr. & l. 18. de mun. & honor.* Vid. D.  
6 Tabor. *de metat. Part. 2. c. 1. n. 2. & seqq.* *Personalis*  
sunt, quæ animi provisione & corporalis laboris inten-  
tione, sine aliquo gerentis detrimento, h. e. sumtu expe-  
7 diuntur. *l. 1. §. 3. l. 18. §. 1. d. t.* Subdividuntur autem per-  
sonalia munera in *præstantiora* & *vilia* seu *sordida*. *d. l. 18.*  
*§. 2. l. 5. §. 4. de vac. & excus. mun. l. 13. & seq. C. de excus.*  
8 *mun.* Hæc ita dicuntur, quòd potissimùm corporis mi-  
nisterio expediuntur. *l. 12. C. de excus. mun.* Et licet a-  
liàs *per se* sordida non essent, respectu tamen persona-  
rum, quibus *præter decorum* imponerentur, sordida & vi-  
lia reputarentur. Guil. de Cun. *de muner. n. 6.* Remig. de  
9 Gonnii. *de Charitativ. subsid. q. 59. n. 22.* Inter hæc vilio-  
ra munera personalia referri solet *munus excubiarum*,  
v g. custodem ad portas stare Georg. Mund. *Tr. de mu-*  
*ner. proloq. n. 20. & c. 1. n. 194.* Guid. Papæ *decis. 9. num. 1.*  
Cothman. *Consil. Academ. 22. n. 20.* Dav. Mevius *Com-*  
*ment.*

64.

3.

ment. ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 6. art. 16. n. 6. Quaedam  
tamen excubiæ ex accidenti honorificæ esse possunt, ut  
mox dicetur.

IV.

Sunt autem varia excubiarum ac custodiarum ge- 10  
nera. Et primùm quidem distinguuntur excubiæ in 11  
*civiles ac militares*, sive in *rogatas & sagatas*, quarum ob  
diversas qualitates variæ sunt species, ut ex infrà dicen-  
dis apparebit. II. ratione impositionis, in *ordinarias &* 12  
*extraordinarias*. III. ratione temporis, in *nocturnas &*  
*diurnas*. IV. ratione loci, in *urbanas, paganas, &c.* V. ra-  
tione rerum, quæ custodiuntur, in *sacras & profanas*, v.  
gr. Templorum, Palatiorum &c. VI. ratione acciden-  
tariæ qualitatis, in *honorificas & sordidas* seu viles, illæ  
censentur, si ab Illustribus, Nobilibus aut honoratori-  
bus Regibus aut Principibus præstentur.

CAPUT II.  
DE EXCUBIARUM CUM-  
PRIMIS URBANARUM  
NECESSITATE.

SUMMARIUM.

*Principum ac Magistratum conditio non est sine mole-  
stis & curis. n. 1.*

*Varia onerum genera. n. 2.*

*Excubiarum necessitas. n. 3. & seqq.*

*Civilis societas non semper potest esse quieta. n. 4.*

*Non vivimus cum perfectis. n. 5.*

A 2

240

A.

*Quo major civitas, eò frequentiores turba. n. 6.*  
*Periculum in civitate ab hostibus, incendiis &c. n. 7.*  
*& seq.*

I.

1. **Q**uemadmodum ipsorummet Principum atque Magistratum sublimis licet conditio atque functio, sine molestiâ tamen atque curâ non transigitur, *Nov. 1. pref.* sic ut sæpè gemitus bonorum Principum legantur tales: *omnes nobis dies ac noctes contingit cum omni lucubratione degere. Nov. 8. pref.* idque eum præcipuè in finem ut subditis benè sit. *Nov. 83. pref.* ita multò minùs subditorum ac civium fert conditio, ut ab inquietudine & molestiâ, ab oneribus & muneribus penitus eximantur. D. Joh. Otto Tabor. *de metat. part. 2. cap. 1. §. 1.*
2. Nec cives onera ejusmodi gravatim ferre debent. Jus enim obligationis inter Remp. & civem consistit in eò, quòd Resp. sive is, penes quem est *τὸ πολιτικόν*, sit obligatus civi providere, ut in societate civili beatè vivat: civis verò tenetur patrimonio suo & opera Remp. adjuvare Respublica, (*sic Cicero lib. 2. de legib.*) nomen universæ Civitatis est, pro quâ mori & totos nos dare, & omnia nostra ponere & consecrare debemus. Idem *lib. 1. de Oratore.* Quoniam sunt omnia commoda à patriâ accepta, nullum incommodum pro patriâ grave putandum est. Vid. D. Mevius. *discuss. levam. inop. debit. cap. 1. & comment. ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 6. artic. 16. n. 2.* Hinc in Republ. varia *onerum* genera suborta sunt, quæ populari vocabulo *munera civilia* appellata sunt.

II.

3. Inter ea etiam est *munus excubiarum*, de quo in præ-



65

5.

præfens pluribus agere animus est. Hujusce oneris seu  
muneris civilis *necessitatem summam* res ipsa docet.  
Quamvis enim Regius Psalmista dicat: *Nisi Dominus æ-*  
*dificaverit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam:*  
eo ipsò tamen minimè improbatur cura & custodia Ma-  
gistratus ac vigilum in civitate, sed fiducia hominum,  
quam in eis habere solent, damnatur. Vid. *Nehem. 4.*

III.

Excubiarum autem ac custodiarum in urbe neces- 4  
sitatem ostendit ipsa societatis civilis conditio, quæ ta-  
lis est, ut non possit semper quieta ac sine periculo esse.  
Cum enim non vivamus cum hominibus perfectis; & 5  
semper soleant esse mala mixta bonis; quin illorum ple-  
rumque major numerus sit in civitate, præterea (ut est in  
proverbio,) *semper aliquid mali propter vicinum malum,*  
esse soleat, isthæc tam *intrinsecè* quàm *extrinsecè* me-  
tuenda mala ac pericula, omnibus modis ac mediis præ-  
cavenda & avertenda sunt. Et quo major est civitas, 6  
eò frequentiores solent esse in eâ turbæ, majora pericu-  
la, ac propterea magis necessaria remedia contra illa.

Facilè domus civium, quæ cuique tutissimum 7  
debent esse refugium ac receptaculum, ut ait Justus Ca-  
jus, *in l. plerique 18 ff de in jus voc. nocturno* cum primis  
tempore, furum, prædonum ac latronum malitiis ac vio-  
lentiis expositæ essent, nisi sint, qui vigilarent.

Facilè peregrini ac hostes clam vel palam civita- 8  
tem ingredi, ejusque securitatem turbare, ac liberta-  
tem opprimere possent, nisi in muris ac portis sint qui  
excubent.

Facile exortis incendiis ædes tam publicæ quàm 9

A 3

pri-

privatæ extremam ruinam pati possent, nisi sint, qui nocturnas excubias agant. Vid. *tit. de offic. Præfecti vigil.*

10 Hæc atque multa alia in civitate accidunt, quæ vel ordinarias vel extraordinarias, diurnas vel nocturnas, excubias ac custodias postulant, urgent & exigunt. Est igitur excubiarum munus inter summè necessaria in civitate, quo sine ea vix tuta ac salva consistere potest.

## CAPUT III. DE VIGILIIS NOCTURNIS.

### SUMMARIA.

*Tempore pacis excubie in portis sæpè non habentur. num. 1.*

*Etiã in pagis nocturnarum excubiarum usus est. n. 3.*

*Princeps jubere potest excubias. n. 5.*

*Quæ consideranda circa excubias? n. 8.*

*Excubiarum forma diversa pro diversitate locorum, n. 10. & seq. -*

*Excubitores triplicis generis. n. 12. & seqq.*

*Excubitorum officium in quo consistat? n. 15.*

*Eorum qui in turribus habitant, officium. n. 16.*

*Vigiles quid facere debeant? n. 18. & seqq.*

*Formula significandi horas noctis. n. 20.*

*Stillwächter / Ruffwächter qui? n. 23.*

*Vigiles tertii generis. n. 24.*

*Eorum necessitas. n. 26.*

*Milites nonnunquam Vigiles constituuntur. n. 26.*

*In Urbe Româ securè noctu ambulare licet. n. 27.*

Pote

7.

Potestas excubitorum qua? n. 29.

Quaritur, si diversa in loco iurisdictiones, an excubito-  
res urbani noctu grassantes comprehendere possint?

n. 30. 31.

Vigil pecuniam accipiens quomodo puniendus? n. 32.

Quid Jure Lubecensi cautum? n. 33.

Vigiles pulsantes quomodo puniendi? n. 34.

Vigil grassantem occidens, quomodo puniri debeat?  
n. 34.

I.

Quamvis multæ urbes, civitates ac oppida, pacis tem- 1  
pore in portis excubias non habeant, noctu tamen 2  
eæ semper constituuntur. Cùm enim noctu incendia 2  
frequentiora magisque periculosa esse soleant, vigilan-  
tiâ etiam majore opus est. Quin non tantùm in urbi- 3  
bus, verùm & in pagis excubiarum nocturnarũ usus est. Et 4  
in quibusdam pagis usu obtinet, daß dem jenigen / den  
die Wacht-Ordnung betrifft / der Wacht: Spieß und  
das Horn ins Hauß geschickt wird. Nec dubium est, 5  
Principem civitatum Magistratibus ac pagorum Præfe-  
ctis, in quibus excubiæ forte non sunt usitatae, sub certâ  
poenâ injungere posse, ut tales, nocturnæ cum primis, in-  
stituantur. Nam salutem Reip. tueri nulli magis cre- 6  
ditur convenire, quàm Principi. *l. nam salutem 3. pr. de  
offic. præfect. vigil.*

Quàm sollicitus in hâc re fuerit Augustus Impera- 7  
tor in Urbe Româ præter *Tit. ff. de offic. Præfect. Vigil.*  
Historici Romani docent.

II.

Circa excubias autem nocturnas civitatum consi- 8  
deranda

o-  
l.  
vel  
as,  
Est  
ci-

ur

3.

3.

ote-



8.  
deranda veniunt 1. earum forma ac modus, quomodo  
sc. excubiæ ordinentur. 2. excubitorum officium ac po-  
testas. 3. eorum pœna, qui eos violare audent.

III.

9 Quoad primum, excubiarum sc. formam, ea de-  
pendet ab arbitrio Magistratus civitatis, excubias in-  
10 stituentis. Et cum urbium ac civitatum Politia, con-  
ditio ac status non sit idem, excubiarum etiam ordi-  
natio & forma, **die Wachtordnung** / pro varietate lo-  
11 corum variare solet. Alia earum ratio est in urbibus  
populosis, alia in parvis oppidis. Alia in fortalitiis, a-  
lia in locis, ubi Principum Aulae, vel Academiae &c.

12 Plerumque autem excubitores nocturni triplicis  
generis esse solent. Quidam excubias agunt in turri-  
bus templorum, portarum &c. quos vulgò **Thürmer** /  
13 item **Hausmänner** / appellant. Alii per plateas noctu  
ambulant, & dato signo per tubam & cornu, horas signi-  
ficant, qui **Stundentrüffer** / item **Stillwächter** dicun-  
14 tur. Alii denique in certo loco, v.g. prope forum vel Cu-  
riam Civitatis, sunt constituti, ut per plateas vocifera-  
tionibus aut armis grassantes coerceant, ac repellant,  
& hi excubitores variè appellantur, quandoque **die**  
**Wacht**; item, **die Scharwacht** / **Stadthütter** / **Nacht-**  
**wächter** &c.

IV.

15 Illorum omniū officium in genere est, per totā noctem  
vigilare, seu vigilem esse, omnem ebrietatem ac somno-  
lentiam fugere, & quævis damna & pericula, quæ oc-  
casione noctis in civitate per incēdia, furta, effractiones,  
tumultus &c. dari possunt, monendo, custodiendo, cla-  
mando,

9.

mando, diligenter præcavere & quovis modo avertere.  
 In specie autem excubitorum in turribus habitantium 16  
 officium est, certis temporis nocturni intervallis vigi-  
 lantiæ suæ signum publicum tubæ vel cornu sono e-  
 dere. Præterea exoriente incendio, ac visâ flammâ  
 campanæ pulsu vel tubæ sono, expansione vexilli, lucer-  
 næ, aliove modò periculum incendii illicò significare.  
 Nonnullibi excubitorib9 istis idem interdium observandū 17  
 incumbit. Eorum autem vigilum, qui per plateas ur- 18  
 bis huc illuc noctu vagantur, officium præcipuè in eo  
 consistit, ut singulas horas, vel singulos horæ quadrantes  
 signo dato significant; simulque inquilinos admoneant,  
 ne negligentia aliquâ incendii casus oriatur. Et hic 19  
 mos in Germaniâ & alibi receptus, altâ voce per no-  
 ctem admonendi homines, ut incendiolorum pericula ca-  
 veant, videtur primam originem sumsisse ab instituto  
 Cæsaris Augusti, de quo Dion, Suetonius & alii. *Idem  
 in l. 3. §. 3. de offic. Præfekt. vigil.*

Formula autem admonitionis pro locorum va- 20  
 rietate variat. In multis Thuringiæ locis excubitor  
 ita exclamat. *Hört ihr Herren / last euch sagen / der  
 Senr (die Glocke) hat / / / geschlagen: Bewah-  
 ret das Feuer und Licht / daß meinen Herren kein  
 Schade geschicht: Und lobet GOTT den HERRN.*  
 Alibi circa finem noctis pia cantilena vel pars ejus de- 21  
 cantatur. Quæ consuetudo laudabilis est. Horum 22  
 numerus juxta urbis amplitudinem variat. Interdum  
 unus, tres, quatuor, interdum plures per regiones Urbis  
 constituuntur.

Illud adhuc monendum, in quibusdam civitatibus 23  
 B vigi-

odo  
 po-  
 de-  
 in-  
 on-  
 di-  
 lo-  
 bus  
 a-  
 cis  
 rri-  
 er/  
 ctu  
 ni-  
 n-  
 Cu-  
 ra-  
 nt,  
 die  
 ht-  
 em  
 no-  
 oc-  
 es,  
 cla-  
 do,



vigiles esse constitutos, qui vel tantummodo certis horarum momentis vigilantia signum edunt, & dicuntur *Stillwächter* / vel qui cum admonitione horarum spacia exclamando aperiunt, & appellantur *Ruff-Wächter*.

## V.

24 Tertii generis (iis scilicet in locis, ubi separatim hoc excubitorum genus introductum) deliguntur Vigiles, qui curam adhibent ne quies civium nocturna pergrassatores, *νυκτιβόρνας*, assassinatores, similisque farinae nequam turbetur.

25 Cum primis autem in populosis urbibus horum excubitorum usus per necessarius est. D. Mevius *Comment. ad Jus Lubec. lib. 4. tit. 10. artic. 1. n. 4.* ubi ait, quod excubias nocturnas agere in civitate, maxima pars securitatis publicae sit. Tales Parisiis, Romae, Neapoli, Venetiis aliisque in locis constitutos esse novimus, in quibus frequentissime caedes, furta ac latrocinia noctu  
26 committuntur. Extra ordinem autem iis in civitatibus, ubi vel occasione Comitiorum, Electionis, Coronationis Regiae, aliisque solemnibus, multi homines congregantur, vel ubi turbarum ac seditionum periculum ac metus est, certus militum numerus ad excubias deputari solet.

27 Memorabile sane est, quod de modernâ Urbe Româ scribit Sprenger. *Rom. nov. lib. 1. cap. 2.* de nocte, ibi, tam securò ambulari (ob excubias scilicet justè dispositas) ut nec minimæ offensionis quid metuendum sit: non ut Parisiis, Neapoli aut Venetiis, furtis vel gladio, vel pugnis ibi sæviri: ibi mediam noctem, imprimis fervidâ æstate, quâ nocturno aere levatur æstus diei, inter can-  
tus

## II.

tus & citharæ sonos citra noxam transigi. Quod sanè de multis Germaniæ longè inferioris notæ urbibus ac oppidulis dici non potest. Quæ vociferationes, quæ 28 turbæ, qui tumultus, quæ vulnera, injuriæ, cædes, ac ædium violentæ effractiones & expilationes in nonnullis civitatibus, quæ Academiæ habent, per noctem videantur ac audiantur, tristis experientia docet, quibus tamen malitiis coercendis sæpè efficacia remedia à magistratu non opponuntur.

## VI.

Quod potestatem excubitorum attinet, sciendum, 29 quòd eos, qui petulanter aut criminose agunt noctu, comprehendere, & ad judicem deducere possint, ut de admissionem reddant, & ad deterrendos alios à simili facinore puniri exemplo publico sint.

Quæritur autem si in unâ Urbe diversæ sint Jurisdi- 30 ctiones, *Urbana & Academica* vel *Aulica*, an etiam vigilibus urbanis, *der Stadt-Wacht* / liceat comprehendere aulicæ aut Academicæ jurisdictioni obnoxios, cum in plateis noctu turbulenta agunt? Affirmamus cum Mevio *d. comment. ad Jus Lub. L. 4. t. 16. a. 1. n. 7.* modò comprehensi vel statim, vel cum hoc sine incommodo fieri non possit, illucescente die, coram suo iudice per vigiles sistantur, ut jus in eos dicatur.

Cum primis respici debet Ordinatio excubiarum, 31 *die Wacht-Ordnung* / & Statutum vel pactum inter civitatem & Academiam initum, quale inter Senatum Academicum & Urbanum Rostochiensem esse dicitur *Cothman. Resp. Acad. 36. n. 59. & seqq.*

Accidit etiam, vigiles acceptâ pecuniâ vel munu- 32 sculo

sculo grassationibus nocturnis quandoque connivere, vel comprehensos sine pœnâ dimittere, quo casu tales vigiles severè puniendi, carcere sc. aut mulctâ.

- 33 Jure Lubecensi tantum, ut talis excubitor decem thaleris & culeo vini mulctetur, aut post annum carcerem relegatione plectatur.

## VII.

- 34 Quæritur autem, quâ pœnâ adficiendî, qui vigiles nocturnos pulsant aut nullâ datâ causâ, malitiosè vulnerant? Resp. tales, tanquam vis publicæ reos pro modo admissi, arbitrariè, carcere, relegatione, fustigatione aut manus amputatione plectendos esse. Decian. *tract. Crim. lib. 8. cap. 18. n. 9.* Carpz. *P. 4. Const. 13. def. 5.*

- 35 Ulterius quæritur: Si vigil in nocturnum grassatorem incidens, eum occiderit, an ordinariâ pœnâ L. Corneliæ de Sicariis plectendus sit? Resp. omnes circumstantias facinoris probè inspicere ac ponderari debere; an nocturnus grassator telo fuerit munitus; an vigiles re aut verbis lacessiverit; an in conflictu cœdes facta fuerit &c. Regulariter autem quæstio neganda videtur, arg. eorum, quæ Jura Romana de nocturno fure tradunt: & quòd Vigiles in re licitâ versantes, non malitiosè grassatorem occidisse præsumantur.

## CAPUT IV.

DE PERSONIS, QUÆ ONUS EXCUBIARUM CIVITATIS SUSTINERE TENENTUR.

SUM-



SUMMARIA

Munus excubiarum ab omnibus, qui cives sunt, subeundum. n. 1.

Civis quodammodo ratione munerum hypothecatus. n. 3.

Excubiarum onus non rem sed personam adficit. n. 6.

Forenses non tenentur ad excubias. n. 8. nec advena. num. 9.

Limitatio. n. 11. & 12.

An Statuto vel consuetudine forenses ad excubiarum munus obligentur? n. 13. & seqq.

Affirmativa defenditur. n. 17. & seqq.

Quid juris si pro opera collecta exigatur? n. 21.

An cives ipsi excubias agere debeant? n. 23. & seqq. Disting. ibid.

De collecta excubiarum, Wachtgeld. n. 24. & seqq.

De domo deserta collecta excubiarum non prestatur. n. 30.

Quando duo tecta pro una domo censenda? n. 33.

An suburbani teneantur ad excubias urbis? num. 35. & seqq.

In materia excubiarum statuta cum primis & consuetudines cujusq. loci inspicere debent. n. 41.

Statutorum autoritas & effectus in his rebus. n. ult.

I.

**M**unus excubiarum haut dubie ab omnibus subeundum est, qui cives sunt, die Bürger sind / und bürgertliche Nahrung treiben / nisi specialiter exemptionem probent, de qua exemptione seorsim infra agetur. Nec enim proprie civis & subditus dicitur, nec privilegiis civitatis utitur, qui onera non sustinet. l. 1. §. 1. l. Impera-

B 3

pera-

IM-



3 *peratores* 38. §. 1. *ad Municip.* Gail. 2. *Obs.* 36. n. 8. & *obs.* 52.  
 n. 15. *seq.* Honded. *cons.* 5. n. 2. adeò ut civis natus patriæ  
 quodammodo ratione munerum hypothecatus videatur. Cephal. *cons.* 451. n. 126. Ziegler. §. *Civitas limit.*  
 4 n. 43. Præcipua autem opera Civitatum consistit in  
 civitatis custodiâ, excubiis, munitione & defensione.  
 Nehem. *cap.* 4. *in fin.* Erhard. *de oper. rustic. concl.* 11.  
 Knipschild. *de jurib. ac privileg. civit. Imperial. lib.* 6. *cap.*  
 5 3. *num* 4. Civis enim est qui civitatem diligit, ac bo-  
 nos omnes salvos & incolumes desiderat. Cicer. *in Va-*  
 6 *tic.* & *Lib.* 1. *offic. passim.* Nec interest, an civis do-  
 7 mum propriam possideat, an alienam. Cum enim ex-  
 cubiæ onus personale sint, personam ipsam non res ad-  
 ficit. *vid. Baldus h. cap. n. allegatus.*

## II.

8 Hinc colligitur, quòd, qui cives non sunt, nec ex-  
 biarum onus suscipere teneantur, ut sunt 1. *forenses*, quos  
 custodia portarum non decet. Mund. *Tr. de muner. & ho-*  
*nor. cap.* 1. n. 199.  
 9 2. *Advenæ, incolæ & inquilini*, sive qui conductitias  
 ædes inhabitant, *Hausgenossen / und die nur miet-*  
*weise in Bürger Häusern wohnen / l. 6. §. ult. de mu-*  
*ner. & honor.* Boer. *decis.* 217. n. 7. Carpzov. *Constit.* 51.  
 10 *def.* 4. Cum enim illi quotannis certum quid, quod  
 vulgò *Schuzgeld* vocant, Magistratui pensitare tene-  
 antur, nec juribus ac privilegiis civitatis gaudeant, civi-  
 11 libus etiam oneribus gravandi non sunt. Limitatur  
 tamen hæc sententia, si statuto aliud cautum sit; quod  
 sine dubio subsistit. *Mev. d. l. n. 8* ubi ait, quod *Lubecæ & in*  
*aliis civitatibus proprio utens igne welcher eigen Feuer*  
 und

15.

und Rauch hält/ cogatur jura civitatis petere, aut nihilominus eum quoad onera ejus loco habeatur. *Jus Lubec. art. 2. t. 2. lib. 1.* quod requirit, ut omnes incolæ, qui etiam à cœteris civibus in ædes recipiuntur, hoc munere fungantur. 2. In casu necessitatis, quo omnes ac singuli, nec privilegiatis exceptis, civitatem defendere, & pro eâ excubias agere tenentur.

III.

Quæritur autem: an statuto vel consuetudine induci possit, ut forensibus in loco rei vel domus sitæ onus personale, vel collecta pro onere personali indicatur? Iniquum hoc & irrationabile censet Natta. *cons. 14 158. n. 12. & cons. 447. n. 4. C. 16.* eò, quòd personæ non sint subjectæ, in quo Statuentes jurisdictionē suam exercere possint: non enim possumus dicere, quòd in onere personali irrogando habita fuerit consideratio ad rem, sed ad personam tantum. Quod ex eo relucet; quia ad talia onera personalia tenentur hi etiam, qui nihil possident in territorio. Bald. *in l. un. col. 6. vers. simile dico. C. de sent. qua pro eo quod inter.* ubi loquitur in eo, qui cessit bonis & vult quod debeat munera personalia, sicut excubare & custodire castrum vigiliis nocturnis &c.

Præterea iniquum videtur, forenses subire onera personalia in loco ubi possident, cum tamen ipsi onera personalia subeant in civitate, in quâ degunt, laremque fortunarum suarum foveant. Unde duobus in locis eadem onera subire, non permittitur Casp Klock. *de contrib. cap. 11. n. 15. & seq.* Præterea impossibile videtur, quod aliquis duobus locis continuò sustineat onera personalia, cum

cum persona dividi nequeat, & idem homo non possit  
duobus locis uno tempore adesse. Klock. *d. rr. c. 16.*  
*num. 200.*

17 Verum enim verò Statutum tale contra eos, qui in  
Castro velitate domus habent, in quibus habitant,  
quando volunt, & in eis se recipiunt tempore belli, &  
frumentum important, non est iniquum, sed subsistit.

18 Hi enim forenses, cum ex custodia sentiant commodum  
propter domos & frumenta, quæ ibi recondunt, tenen-  
tur ad onus custodiae diurnæ & nocturnæ, ut respondit  
Calderinus *conf. 6. sub tit. de censib.* quem sequitur  
Klock. *d. rr. c. 16. n. 205. & c. 13. n. 36.*

19 Nec obstat, quod quis in duobus locis simul non  
possit personalem operam v. g. custodiae, præstare; per-  
mittitur enim vel operam istam excubiarum certo pre-  
tio, quod dicitur *Wachtgeld/Wächtergeld*/ redimere,  
20 vel per alium, v. g. inquilinum eam exhibere. Et ejus-  
modi Statuta passim exstare meminimus, quæ volunt,  
*do einer Hauß und Güter in einer Stadt besesse/ und  
solche nicht selber bewohnet/er durch eine andere Per-  
son Frohn und Wache von denselben verrichten  
müsse.*

21 Quid verò, si, cessante Statuto, loco muneris merè  
personalis, v. g. custodiae, collecta indicta sit, an et-  
22 iam hæc forenses adstringit? *Affirm.* si ratio oneris re-  
spiciat etiam forenses, puta, si onus custodiae non sit or-  
dinarium & solitum, sed publicam utilitatem & necessi-  
tatem concernat. Scilicet, semper origo & causa colle-  
ctæ investigari debet, ita, ut qui liber est à causa, et-  
iam ab effectu liber esse dignoscatur. Klock. *d. rr. c. 2.*

17.

n. 29. & cap. 17. n. 195. ubi allegat Surdum decis. 275. n. 2. Rosenthal. de feud. concl. 7. Alphons. de Azeved. ad Constit. Hispan. L. 7. tit. 9. L. 5. n. 2.

IV.

Quæritur autem; an cives ipsi excubias agere debeant, an verò operam istam pecuniâ redimere possint? Et videtur primò distinguendum esse inter *excubias ordinarias & extraordinarias*. Ordinariæ redimi possunt pecuniâ certâ, quam **Wacht** vel **Wächtergeld** vulgò vocant: nisi statutum personalem custodiam Civium exigat. Est autem collecta excubiarum, **das Wachtgeld**/ multis in civitatibus usitata. Cùm enim nec semper expediat tam civitati, quàm ipsis civibus hos istas excubias agere, præsertim si periculum id non exigat, aliquando verò cùm præsentibus excubare debeant, emanant, constitutum est, ut certa pecunia ab unoquoque solvatur Reip. undè excubitores alantur, & securitatis remedia procurentur. Mev. d. loc. n. 5.

Quod verò extraordinarias excubias attinet, quæ tempore necessitatis, v.g. belli, imminente vel obsidente hoste, constituuntur, eas regulariter pecuniâ redimere non licet, **sondern es muß Mann vor Mann uf die Wacht ziehen**. Neque enim pecuniarum collatione, sed hominum labore ac fortitudine, portæ ac muri Civitatum contra vim & irruptionem hostilem defenduntur, cum primis durante obsidione civitatis, **Zeit wärens der Belägerung**.

Cœterum, cùm collecta excubiarum inhabitatoribus ratione ædium vel habitationis imponi soleat, quæritur i. si plures in ædibus habitent, an singulis

C lis



lis collecta ea incumbat? Affirm. propterea, quòd munus excubiarum personale sit. *l. munerum 8. §. 10. de mun. & honor. l. sed & 8. §. 4. de excus. mun. Mev. d. l. n. 5.*

30 Quæritur 2. si domus deserta sit, & inhabitatore vacua, wenn das Haus wüste und öde stehet? Nihil eo nomine deberi ait Mevius *d. l.* ob rationem jam allatam.

31 Quæritur 3. si civis unus duas ædes tanquam unam inhabitet, an collectam excubiarum, tanquam ex unâ solvat? Affirmat Mevius *d. l.* modò facultas ex binis ædi-

32 bus unam faciendi, publicè permiffa sit. Potest enim Magistratus ex justâ causâ prohibere, ne vicinæ ædes separatae in unam conjungantur, vel salvo Reip. jure permittere, sub cautione tamen seu repromissione, quòd tanquam pro duabus onera, (cum primis realia) subire

33 vellet. Quando autem duo tecta pro unâ vel duabus domibus haberi debeant, eleganter docet Mevius *d. l. n. 13. & seqq.* ubi ait principium dijudicationis esse destinationem & usum patrisfamilias, quem una janua vel porta, eadem architectura, sub eodem modo & in iis-

34 dem confinibus arguat. In dubio autem duas potius domus judicari debere quàm unam, allegans Surdum *cons. 207. n. 6. Mascard. de probat. concl. 1174. num. 38. & 45.*

## V.

35 Præterea quæritur, an Cives in suburbiis habitantes, die Vorstädter dicti, teneantur in portis civitatis excubias agere? Aliquando de eo dubitatum fuisse meminimus, propterea, quòd suburbanorum civium domus non intra sed extra moenia civitatis sint sitæ, ac securitate com-

communi cum reliquorum civium ædibus non gaudeant. Verùm, cùm suburbia iisdem cum civibus intra 36 muros habitantibus, juribus ac privilegiis gaudeant; æquum etiam est, hoc præsupposito, ut æqualia onera ferant, cum primis si necessitas, v. g. periculi belli, excubias efflagitet. Accedit & hoc, quòd tempore belli, suburbici 37 cum frumento & suppellectile soleant in urbem fugere, & securitatem in eâ quærere.

Quid verò, si suburbia sint muris cincta, qui & ipsi 38 custodiam exigunt? Hoc casu ab excubiis portarum civitatis in suburbiis habitantes excusandi sunt. Neque enim duplici onere quis gravandus est.

In casu tamen extremæ necessitatis, v. g. arcendi 39 hostis gratia, Magistratus suburbanis civibus injungere potest, ut suburbium vel domos suas deserant, ac sese cum familiâ ac bonis in civitatem recipiant, eamque contra vim hostilem defendere laborent. Nec novum est, suburbia tempore belli ratione defensionis sic exigente, planè destrui.

Ulterius quæritur : Si in suburbiis habitantes 40 sub jurisdictione Magistratus urbani non sint, nec communi cum civibus jure fruantur, an excubiarum munus in civitate suscipere teneantur? Negandum videtur, cùm hoc casu civium respectu pro extraneis ac peregrinis habeantur.

Cùm verò tempore belli ac necessitatis nec foren- 41 ses ab excubiis civitatis vel castri sint immunes, quando in eò cum bonis suis securitatem quærunt, idem de his dicendum videtur.

Id autem generaliter tenendum, in hâc excubia- 42 rum



rum materie cum primis Statuta ac consuetudines locorum inspici ac observari debere; Statutum enim, velut Regina Civitatis civibus facienda & non facienda praescribit ac ordinat: onera civibus imponit, tollit, auget, minuit.

CAPUT V.  
DE HIS, QUI AB ONERE  
EXCUBIARUM IMMUNES.

SUMMARIA.

*Munera ad Reip. tutelam, decus ac robur pertinent. num. 1.*

*Munera non omnibus in Rep. aequè conveniunt. n. 2.*

*Regula circa immunitatem excubiarum tenenda. n. 3.*

*Immunes ab excubiarum onere sunt Clerici. n. 4.*

*Doctores, Scholarum Magistri, Advocati, literati. n. 5.*

*Nobiles, Consules, Senatores. n. 6. 7.*

*Privilegiatorum liberi ac vidua. n. 8.*

*Qui in aedibus privilegiatis habitant. n. 10.*

*Restrictio. num. 11. & seq.*

I.

**M**unera ad Reip. & singulorum in Rep. viventium tutelam, decus & robur pertinere, in confesso est apud omnes. vid. P. Greg. Tholos. Part. 1. syntagm. lib. 3. c. 2. n. 2. & seqq. quapropter ab iis regulariter nemo excusandus est. t. t. C. de immun. nemin. conced. Cum verò munera quaedam ejusmodi generis sint, ut omnibus

in



in Rep. viventibus non conveniant, ac jure meritoque nonnulli cives ab iis eximantur, indè immunitatis certa jura ac privilegia enata sunt.

## II.

Quod verò excubiarum munus vel operas attinet, de iis hæc Regula tenenda: *Quicumque in præstantioribus muneribus Reip. aut Principis obeundis occupati sunt, illi meritò à sordidis (inter quæ excubiarum onus refertur) excusantur.* l. 12. C. de excus. mun. l. 4. C. de dignit. licet locus istius pecunia, (quæ *Wächtergeld* dicitur) solvatur. Petr. Heig. lib. 1. quest. 17. n. 25. & seqq.

Tales autem personæ sunt 1. Clerici & Ecclesiasticæ personæ. l. 6. C. de Episc. & Cleric. vid. D. Tabor. de metat. part. 3. c. 2. artic. 1.

2. Consilarii Principum, Scholarum Doctores & Magistri, Advocati, omnesq; literati. l. 11. C. de Assessor. l. 6. l. 11. C. de Prof. & Medic. l. 5. l. 6. l. 17. P. 2. C. de Advoc. divers. jud. Paul. Christinae. tom. 5. decis. 49. n. 21. Mund. de muner. & honor. cap. 1. n. 195. & n. 196. ait. Certè stulti & ridiculi, & ut contra propria commoda laborantes, audiendi non essent literati, l. si pater 4. C. de sponsal. Coras. in l. qui liberos 19. §. 7. n. 88. de R. N. si contra sua in corpore juris clausa, eoque firmiora privilegia, gloss. in Proæm. Clement. verb. de cætero. Casp. Anton. Tessaur. decis. 93. n. 2. & decis. 99. n. 6. Tapia. in l. fin. part. 2. c. 6. n. 21. de Const. Princ. & libertatem suam, contra quam neque præscriptio incipit, neque procedit, neque destruit, neq; impletur, neque mille millium annorum curriculo firmatur aut convalescit, Auth. habita. ubi Dd. C. ne fil. pro patre. Cothman. cons. Acad. 1. n. 406. & seqq. tam sordidis excubiarum & civitatis aut portarum custodiæ, &

similibus personalibus oneribus, se adstringi paterentur, & maleferiatorum quorundam ludibrio & stultæ voluntati sese subjicerent.

- 6 3. Nobiles. *Mund. d. cap. n. 105. & seq. arg. l. 9. §. 1. de mun. l. 7. C. de jur. immun.*
- 7 4. Consules, Senatores & Decuriones. *l. 4. l. 5. l. 14. C. de dignit. l. 21. C. de decur.*
- 8 5. Privilegiatorum lege vel consuetudine viduæ & liberi, quousque conditionem viduitatis & fori non mutant. *l. Medicos. ibi: una cum uxoribus & liberis. C. de Prof. & Medic. l. quoties C. de privil. Scholar. lib. 12. Latè Cothman. Respons. Acad. 15. n. 27. & seqq. & Casp. Klock. de contribut. cap. 15. n. 32. & seqq.*
- 9 6. Qui privilegium immunitatis à Principe concessum habent. Dubium enim nullum est, Principem ex justâ causâ (quod in dubio præsumendum) certas personas ab onere excubiarum eximere posse.
- 10 7. Qui in ædibus privilegiatis seu exemptis habitant, **die in Frenhäuffern / so in specie Frohn- und**  
 11 **Wachfren seyn / sitzen.** Quod tamen cum hac declaratione accipiendum, si non in iis civiles negotiationes exercent, **wann sie nicht bürgerliche Nahrung / als Brauen / Schencken und dergleichen / treiben.**
- 12 Æquum enim est, ut illi commoda quærendo incommoda simul subeant. *l. 10. de R. J. & differt multum exemptio domus ab urbanâ jurisdictione & immunitas ab oneribus negotiationis. Nec illam impetrans hanc obtinet. Qui talem in domo suscipit, eam quoad artem exercitam statutis civilibus submittit. Vid. D. Me-*
- 13 *vius part. 3. decis. 321.* Nonnullibi etiam Ministri Principum

cipum ac possessores ædium exemptarum excubiarum onus sustinere coguntur, si in eas inquilinos recipiant, à quibus commoda percipiunt.

# CAPUT VI. DE EXCUBIIS CASTRO- RUM, von der Schloß- und Burgwache.

## SUMMARIA.

*Usu recepta custodia castrorum à subditis præstanda n. 1.  
An subditi de jure teneantur Dominorum castra & arces  
custodire? Negativa defenditur. n. 3. & seqq.*

*Limitatio. I. n. 5. Præjudicium. n. 6.*

*Magistratus insolitas operas à subditis non exigant. n. 9.*

*Limit. II. n. 11. Limit. III. n. 12.*

*Ampliatio. n. 15.*

*An subditi omnia dominorum castra custodire debeant?  
n. 16.*

*An Domini teneantur subditis excubitoribus victum  
exhibere? n. 19. 20.*

### I.

**U**Su receptum est, à subditis Dominorum castra, ar-  
ces & Palatia custodiri. Undè quæritur: An sub-  
diti regulariter in Castro domini vigilare, & excu-  
bias agere sint obstricti? Hæc quæstio, notante Besol-  
do *Theaur pract. 2. verb. wachen/ agitata in caussa Papæ  
penheimb contra Elgau/ ubi dominus jura magistratus  
allegavit, & vigore ejus hoc jus sibi competere adseruit.*  
Videtur autem quæstio regulariter *de jure* neganda, cum  
nulli-

1  
2  
3



- nullibi quidquam de hoc custodiae onere & operae specie constitutum, aut generali consuetudine introductum reperiatur. *arg. l. un. C. ne opera à Colleg. exig. lib. X. l. 1. & l. 2. C. ne rustici ad obseq. evoc. ibiq. Dd. in comment. Lib. XI. Maul. de homag. tit. 4. n. 9. Jacob. de S. Georg. de homag. n. 66. Sixtin. de Regal. lib. 2. c. 13. n. 69. Pacian. lib. 2. de prob. c. 37. n. 51. Berlich. part. 2. concl. 64. n. 1. Carpzov. Pract. For. P. 2. Const. 51. def. 1. n. 1. quos sequuntur cum allegatis Dav. Mevius in comment. ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 6. art. 16. n. 4. Joh. Franc. Balthasar. dissert. de oper. subdit. cap. 11. vers. ulterius queritur. Dn. & Amic. Myler. de Princip. ac Stat. Imperii Part. 2. cap. 78. §. 4. ubi ex Fr. de Amaya ad d. l. un. C. ne rustic. ad obseq. n. 17. addit, Legibus quoque Hispaniae Baronibus Regni id denegatum esse. Atque ita pronunciatum in Camera, ait Befoldus. d. l. ex Rutger. Ruland. decis. jur. controvers. quest. 23.*
- 5 Limitatur autem haec sententia negativa i. Si legitimam ac firmam consuetudine introductum sit, subditos Castrum vel Palatium Domini custodire. Ejusmodi enim consuetudini merito inhærendum. Berlich. & Carpz. *dd. loc.* Befold. *d. l.* Talis consuetudo heic loci viget, cujus vigore rustici quaesturae Rudelstadenensis in Castro, quod ordinaria Residentia per illustrium Comitum Schyvarzburgerum linea Rudelstadianae, nocturnam ac diurnam custodiam praestare sunt adstricti.
- 7 Ejusmodi autem consuetudo, si à subditis negetur, legitimè probanda est, quippe quod sit contra jus commune, ac odiosa. Vid. Merckelbach apud Klock. *vol. 1. conf. 26. n. 29.* Et alias operarum novarum possessio & servi-

servi-

servitia indebita per Dominorum impressionem & vim  
 extorta esse præsumuntur. Molin. *in Consuet. Paris. tit. 2.*  
 §. 76. n. 16. & seqq. Mascard. *concl. 1308.* & cum allegatis  
 Klock. *de contribut. cap. 2. num. 44.* Rectè etiam cum  
 Dd. *ex l. si qui 2. C. ne Rusticani ad nullum obseq.* colligit  
 D. Brunneman *in d.l. Magistratum* ne quidem à volenti- 9  
 bus subditis insolitas operas exigere, nec subditum, nisi  
 cum protestatione exhibere debere, quia hæc in præju-  
 dicium posteritatis pedetentim vergere solent. Sed hæc 10  
 hodiè communiter à Dominis jurisdictionalibus malè ob-  
 servantur, qui plerumq; subditorum æquissimas protesta-  
 tiones iniquissimè ferunt, eosque justitiam implorantes  
 non favore sed odio persequuntur. O tempora! O mores!

Limitatur II. si pactum inter Dominum ac subditos 11  
 de custodiâ Castrorum præstandâ, initum sit. Petra *de po-  
 test. Princip. cap. 6. num. 37.* Ruland. *decis. jur. contro-  
 quest. 23.* Et conventionem legitimam acquirendarum  
 operarum modum esse, post alios docet Maul. *d. tr. tit.*  
*4. n. 2.*

Limitatur III. si subsit necessitas, ut tempore belli, 12  
 vel imminentis periculi prodicionis, diffidationis, in-  
 cendiariorum, grassatorum &c. Subditi namque ex jura- 13  
 mento fidelitatis obstricti sunt Dominum jurisdictionis  
 ejusque bona defendere. Boer. *decis. 212.* & *tr. de custod.*  
*clav. n. 2. & seqq.* Sixtin. *d.l. c. 13. n. 69.* Hering. *de jure Bur-  
 gor. n. 684.* Klock. *de contrib. c. 3. n. 10.* Balthaf. *d. tr. c. 11.*  
*pag. 288.* ubi in terminis periculi incendii adducit Jus  
 Provinc. Bavar. *tit. 22. art. 6.* Ziegl. *ad Praxin Calvol. §.*  
*mobiles. n. 105.* Carpzov. *d. def. 1. n. 7.* D. Myler. *d. cap. §. 3.*  
 ubi ait, ex jure sequelæ fluere jus Excubiæ, quod sci-

D licet



14 licet subditi ad custodiendum arces, & excubiarum onus subeundum obligati sint. Ubi monendum, quod excubiarum operæ à subditis exigantur vel jure superioritatis, vel vi jurisdictionis & meri Imperii. Undè privatus domum vel arcem fortè sub jurisdictione sui Domini possidens ipsemet suis sumptibus illam custodire tenetur. Boer. *d. dec. n. 2. & 9.* Berl. *concl. 64. n. 16.* Carpzov. *def. 2. n. 1.* Operæ enim regulariter domino jurisdictionis debentur. Gail. *de arrest. c. 10. n. 12.*

15 Ampliatur hæc sententia, licet dominus jurisdictionalis diffidationis vel periculi causam dederit. Berlich. *P. 2. concl. 64. n. 9.* & Carpzov. *dd. loc.*

## II.

16 Quæritur autem, an subditi omnia domini castra, etiam in aliis territoriis sita custodire teneantur? Resp. ea solummodò custodiri debere, in quibus antehac excubiæ fieri solitæ sunt. Boer. *d. dec. n. 18.* Carpzov. *d. def. n. 2.* consuetudo namque hæc strictissimè accipienda.

17 Nec aliud dicendum videtur, si periculum belli aut incendiæ immineat. Subditi namque alicujus castri, oppidi vel pagi domino tantummodo respectu illius castri, oppidi aut pagi sunt & dicuntur subditi, ipsique domino vel promissionem fidelitatis intuitu ac ratione jurisdictionis in suas possessiones competentis præstant, consequenter nõ tenentur ad servitia & excubias alterius loci ac jurisdictionis, cujus respectu non sunt subditi. Balthaf. *d. tr. c. 11. p. 295.* & *resol. pract. part. 2. tit. 9. resol. 1. n. 10.* Contrarium statuit post Berlich Carpz. *d. def. 2. n. 5.* Consuetudo tamen ac observantia in hæc operam materiã cum primis respicienda videtur,

Illud

Illud autem extra controversiam est, subditos per 18  
dominum non posse alii cedi, ut ejus castra tempore bel-  
li vel necessitatis custodiant. Boer. *d. dec. n. 1.*

Quæritur autem, an domini teneantur subditis pro 19  
arcis custodia excubantibus victum competentem ex-  
hibere? Ajunt Sixtin. *d. l.* Berlich. *d. l.* Carpz. *d. Const. def.*  
*§. n. 1.* ubi vi peculiaris Constitutionis, ait, in Saxoniâ ru-  
sticis excubias agentibus, panem & caseum pro victu  
quotidiano præstari. Balthaf. *d. c. 11. in fin.* D. Myler. *d. c.*  
*§. 8.* Nobis videtur quæstionem hanc potius ex usu & ob- 20  
servantiâ, quàm jure decidi debere. Quibusdam in 21  
locis suis sumptibus custodiam subditi præstant. Heic  
loci custodiæ Castri operam certâ pecuniâ subditi rede-  
mère, quâ vigil perpetuus alitur,

## CAPUT VII. DE EXCUBIIS APUD IL- LUSTRES PERSONAS DE- FUNCTAS PRÆSTAN- DIS.

### SUMMARIA.

*Corpora mortuorum illustrium custodiri solent. n. 1.*

*Quinam ad eiusmodi excubias vocentur? n. 2.*

*Numerus excubitorum arbitrarius. n. 4.*

*Consuetudo hîc spectanda. n. 6.*

*Sepulcrales excubie quæ? n. 7. & 8.*

### I.

**M**oris est, Regum, Principum, Comitum aliarumque 1  
D 2 illu-

illustrium personarum corpora, post mortem in Palatiis suis, usque ad tempus sepulturæ, cujus solennitas interdum per multas hebdomadas aut menses differtur, custodiri, es werden gemeiniglich Königlische / Fürstliche etc. Leichen Tag und Nachts bewacht. Ad excubias autem hoc in casu vocantur Vasalli, ministri aulici, interdum ex civibus honoratiores adhibentur. Hi alternatim dies ac noctes excubias agunt.

Numerus autem custodum arbitrarius est, quippe quatuor, sex, octo, decem vel plures excubare solent. Eis in aulâ victus præstatur, & interdum finitis excubiis, vestes lugubres & honoraria. Hoc autem excubiarum genus juxta cujusque loci consuetudinem regulari debet, quippe quæ in hisce ac similibus rebus maximè variare solet.

## II.

Sepulcrales autem Principum excubiæ ferè ignorantur, quarum exemplum in sacris, (*Matth. 27.*) legitur, eum Judæi Pilatum rogarent, ut certis hominibus sepulcrum Salvatoris Christi custodiri juberet, ne, ut malè verebantur, discipuli ejus corpus, in fidem Resurrectionis factæ, transportarent.

Nonnunquam etiam sepulcrales ejusmodi custodiae adhuc hodiè instituuntur, quando scilicet metuitur, ne sepultum corpus (ut quandoque fit) effossum aliò transferatur, quando scilicet super jurisdictione loci, in quo corpus sepultum, cum vicino lis & controversia est.

Cæterùm de excubiis nocturnis ad monumenta Martyrum & aliorum defunctorum constitutis, vid. *Craf.*



Crus. Tr. de nocturnis officiis. c. 23. Euseb. Histor. Eccles.  
lib. 6. c. 33.

# CAPUT VIII. DE CUSTODIA HOMI- NUM OCCISORUM.

## SUMMARIA.

- Cadaverum subterratio meri est Imperii. n. 1.*
- Cadavera hominum transferre non licet sine consensu domini jurisdictionalis. n. 4.*
- Cadaverum inventio & visio arguit jurisdictionem. n. 5. & 6.*
- Custodes quandoque apponuntur occisis vel mortuis. num. 7.*
- Quandoque corpora sepulta effodiuntur. n. 9.*
- Cujus sumptibus custodia mortuorum fiat? n. 10.*
- Consuetudinis vis & autoritas in hac re. n. 11.*
- Ejus abusus & Tyrannis. n. 12.*
- Transvectio & subterratio cadaverum cujus impensis fiat? n. 13.*

### I.

**C**Adaverum occisorum subterrationses, die Uffheb-  
und Begrabung der entleibten Körper / ex genera-  
li Germaniæ consuetudine, actum meri imperii impor-  
tare, also daß sie auch unter die vier hohe Centh und  
Fraisch-Fälle gerechnet werden / omnibus constat. Et  
testantur id causæ plurimæ Mandatorum in Camerâ Im-  
periali super constitutione pignorationis eorundem no-  
mine impetratorum. Thom. Merckelbach, apud Klock.

D 3

voh.



- 2 *vol. 1. consil. 10. n. 475. ubi n. 476.* addit, quòd hæc consuetudo videatur nata ex *L. 3. §. quibus tamen: ff. de Sepulcr. violat.* ubi Ulpianus refert, D. Marcum decrevisse, nullam pœnam meruisse eos, qui corpus in itinere defuncti per vicos & oppidum transvexerunt: quamvis talia fieri sine permisso eorum, quibus permittendi jus est,
- 3 non debeant, & ibi not. *gloss. in verb. eorum:* ejusmodi permillum penes summum Principem, Imperatorem,
- 4 (hodiè penes Dominum territorialem) consistere. Et ad transferendum corpus per territorium exigit etiam licentiam præsidis Provinciæ Fr. Marcus *decis. 1084. n. 9. & seqq.* P. Gregor. *Syntag. jur. univ. lib. 2. c. 14. n. 2.* ubi ait: quòd non liceat transferre sepultos sine auctoritate superioris. *Besold. thes. pract. verb. Durchführung der Verstorbenen/* ubi scribit: Mortuum per alterius territorium post nudam denunciationem transportari posse; cùm aliud sit transportare defunctum, & ducere captivum. Hoc vim habere, & actum quendam jurisdictionalem recipere, illud nullâ planè ratione,

## II.

- 5 Cœterùm cadaverum inventiones & visiones, quæ fiunt de mandato Principum territorii, ubi patratum fuit delictum, vel judicis maleficiorum cum loci confinibus, vulneribus & cœteris à scribentibus requisitis ad inquirendum postea delinquentes, arguere quasi possessionem jurisdictionis, respondet Bursatus, *consil. 235. n. 29.* quem refert Merckelbach. *d. l. n. 478.*

- 6 Non tantùm autem translatio ac subterratio occisorum, sed & quorumcunque cadaverum, casu aliquo in itinere, aquis vel sylvis peremptorum; item propriici-
- da-

31.

darum, die sich selbst erhengt oder ertränkt / actum jurisdictionalem importat.

III.

Ut autem jurisdictio servetur, ac ne, uti quando- 7  
que accidit, cadaver à vicino, forte jurisdictionem in  
loco reperti cadaveris, prætendente, tollatur, custodes  
ei adponi solent, donec in præsentia judicis ac Scabino-  
rum, Richter und Schöppen / translatio ac subterratio  
ejus fuerit expedita. Nonnunquam ubi lis super juris- 8  
dictione loci metuitur, armati homines cadaveri custo-  
diendo, transferendo ac sepeliendo adponuntur. Nec in- 9  
auditum, pro manutenenda possessione prætensæ jurisdi-  
ctionis, vicinum dominum sepulta cadavera iterum ef-  
fodi, ac armatâ manu ad alium locum transferri curare,  
undè inter vicinos, potentiores cumprimis, sæpè gra-  
vissimæ lites nasci solent.

IV.

Quæritur autem: cujus sumptibus appositio custo- 10  
dum his casibus fiat? & dicendum videtur, onus sum-  
ptuum incumbere domino jurisdictionis, non subditis,  
nec occisi aut defuncti heredibus: ratio est, quòd custo-  
des principaliter adponantur ob defensionem seu ma-  
nutentionem jurisdictionis: Eam autem Princeps ex  
fisco suo defendere debet; quanquam negari non pos-  
sit, hodiè de consuetudine ferè onus hoc subditis in-  
jungi. Consuetudo scilic. usus ac observantia, in 11  
materia onerum ac impositionum cumprimis respi- 12  
citur. Et hæc est, quæ subditos premit, subditorum  
loculos exhaurit, eos servos ac ferè mancipia hodiè red-  
dit. In multis lex tacet, æquitas deficit, sed consuetu-  
do



do, Tyrannis ubiq; imperat; & quid mirum, quando misselli rustici exactio-  
num consuetudines, ne novæ intro-  
ducantur, aut veteres extendantur, maximè timent, ac  
ne minimum quid voluntariè promittunt.

13 Quod verò transvectionem ac subterraneam cada-  
verum attinet, ea de bonis defunctorum fieri consuevit;  
si verò nihil in bonis reperiat, ex fisco, qui de mori-  
bus Germaniæ penes eum, cui criminalis jurisdictio in  
loco competit, esse solet, sumendi.

## CAPUT IX. DE CUSTODIA INCAR- CERATORUM ET ARRE- STATORUM.

### SUMMARIA.

*Delinquentes custodiri solent. n. 1. quomodo? n. 2.*

*Ob quam causam? n. 4.*

*An & in pagis? n. 5.*

*Cujus sumptibus carceres custodiantur? n. 6.*

*Mos hodiernus improbatur. n. 10.*

*Limitatio. n. 12.*

*Arrestans suis sumptibus arrestatum detinet. n. 14.*

*& Accusator reum. n. 15.*

*Quid Juris Saxon. n. 16.*

### I.

1 **N**on infrequens est, arrestatos aut incarceratos de-  
linquentes, de fugâ aut effractione suspectos, custo-  
diri; honestioris autem conditionis homines ob quali-  
tatem

33.

tatem criminis levioris, in Palatio aut Camera custodiæ 2  
 officialium vel militum tradi. Boer. *decis.* 216. n. 3. Jul.  
 Clar. *lib. 5. sent. §. ult. quest. 28. n. 3.* Quin nulla custodia 3  
 in civitate, magis frequens ac usitata esse videtur, quam  
 Reorum, cum semper fugere præsumantur ac judiciũ elu-  
 dere velle. Fit autem incarceration, aut arrestatio homi- 4  
 nis vel ob *causam criminalẽ*, vel ob *civilem*, debitum pu-  
 ta. Ob delictum incarcerati custodiri solent per com- 5  
 mentarienses, vel carcerarios, unum, duos, tres, vel plu-  
 res, pro arbitrio judicis. De quorum negligentia custodiã 6  
 ac poenã vid. *Ord. Cr. a. 180.* Carpz. *Pr. Cr. q. III. n. 99. & seqq.*  
 In pagis etiam, ob defectum carceris benè muniti, in 7  
 domo Sculteti aliove loco publico Rei vinculis & ferra-  
 mentis ligati à rusticis custodiuntur. Quæritur autem, 8  
 cujus sumptibus delinquentes custodiri debeant? Et  
 respondetur, onus hoc incumbere domino jurisdictioni-  
 nali, qui jus fisci habet, quemadmodum & is sumptus  
 processus & executionis poenæ ferre debet. Ex da- 9  
 mnari autem bonis, si quæ sunt, sumptus isti, justã eorum  
 moderatione præcedente, quæ sæpè negligitur ab offi-  
 cialibus, refundendi sunt. Morem autem istum, qui 10  
 alicubi introductus, planè improbamus, quo sumptus o-  
 mnes ex bonis Inquisiti & incarcerati Rei sumuntur, con-  
 tra quem tamen sæpè sufficientia indicia ad capturam,  
 carcerem & poenam non adsunt, sed qui postea planè  
 innocens reperitur. Certè Inquisitus onere expensa- 11  
 rum prius gravari non debet, quam per sententiam cri-  
 minis reus judicatus est.

Limitatur autem quæstio principalis, nisi consue- 12  
 tudo ac observantia adsit, quæ onus sumptuum custo-  
 E dia



13 diæ carceris subditis injungit, quæ consuetudo, quamvis  
 nō adeò probanda, multis in locis Thuringiæ obtinet. Ad-  
 ponuntur scilicet custodes duo vel plures carceratis, cer-  
 to pretio à subditis solvendo, conducti, vel subditi ipsi,  
 die *Amts/Unterthanen* / illius districtus vel Quæsturæ,  
 in quâ criminosi incarcerati, per vices custodiæ operam  
 præstant.

14 Qui verò v. g. ob debitum, vel aliam causam ar-  
 restationem & custodiam personæ petit, is eam suis sum-  
 ptibus præstare debet. Joh. de Platea *in l. fin. Cod. de ero-*  
*gat. milit. annonæ.* ubi scribit, quòd creditor faciens ca-  
 pi & custodiri suum debitorem per nuncios publicos  
 Communitatis, debeat eis solvere sumptus. per *l. Prætor.*  
*4. §. is etiam. & ibi Bald. de edend. Surd. de alim. tit. 1. q.*  
*63. n. 3. Menoch. de arb. jud. quæst. lib. 2. cent. 3. conf. 228.*  
 15 Mager. *de Advocat. armat. c. 15. n. 379.* ubi alias quamplu-  
 rimas autoritates adfert. Idem dicendum videtur de  
 accusatore, qui v. g. Titium reum criminis homicidiū  
 postulat, ac requirit, ut is incarceretur, si is non habeat,  
 16 undè vivat. De Jure Saxon. accusator cautionem præstat  
 de injuriis ac expensis refundendis in casum succum-  
 bentia. Carpzov. *Pract. Crim. quæst. 106. n. 39. & seqq.*

## CAPUT X.

# DE CUSTODIA MES- SIUM, VINDEMIARUM, HORTORUM, SYLVA- RUM &c.

SUM-

SUMMARIA.

*Custodia messium ac vindemiarum necessaria. n. 1.*

*Custodes quis alat? n. 3.*

*An custodi liceat furem occidere? n. 4.*

*Distinguitur. n. 6.*

*Custodiuntur agrorum fruges contra ferarum greges. num. 9.*

*An occidere liceat feras fructus agrorum aut vinearum depopulantes? n. 10. & seq.*

*Horrorum custodia. n. 12.*

*Sylvæ cum primis diligentem custodiam desiderant. n. 14.*

*Custodes sylvarum Förster / Forstknechte dicti n. 16.*

*Fus eos adponendi est jurisdictionis. n. 17.*

*Lignorum in flumine transvehendorum (des Floßholzes) custodia. n. 19. & seq.*

I.

Cum maturi agrorum fructus, cum primis circa messis tempora, rapacibus hominum manibus expositi sint, ipsiq; ruricolæ, utpote in demetendis ac colligendis fructibus occupati eos custodire nequeant, passim usu recepta est messium ac vindemiarum custodia. Hæc à Magistratu certis personis, quæ Fluhr / oder Feld-Schützen / Feld-Wächter / Wein-Hüter / dicuntur, committi solet. vid. Ordin. Provinc. Gothana, P. 2. c. 3. tit. 27.

Si autem contribuendum est pro solvendo salario vel mercede custodibus messium, aut vindemiarum, tunc collecta inponi debet per capita, consideratâ causâ, iis duntaxat, qui ex custodiâ istâ utilitatem percipiunt, sive exempti sint, sive non. Florez Diaz. de Mena. (citus Klockio de contrib. cap. 17. n. 246.) quest. 21. n. 110. & 116.

E 2

II.



4 Quæritur autem: an liceat custodi, furem in agro  
5 vel vineâ deprehensum, occidere? Sæpè tristia exem-  
pla sclopetò, lapide vel hastâ interfectorum occurrunt.  
Quemadmodum superioribus annis Halæ Saxonum e-  
jusmodi cásus accidit, ubi custos civem in amici vineam  
suburbanam ingressum, ac uvam decerptam comedentem  
deprehendens, in furore, non auditâ excusatione, la-  
pide percutiens, occiderat.

6 Videtur autem distinguendum esse inter furem no-  
cturnum & diurnum. Illum, si quis in clamatum non  
cognoscere nec capere potuerit, pro defensione sui i-  
psius, vel fructuum, percutere vel etiam occidere lice-  
bit, nisi quandoque ob circumstantias facti occisor furis  
fustigationis, relegationis, vel carceris pœnâ plecti de-  
beat. Vid. Ripa *de noct. temp. c. 14. n. 38.* Damhud. *Pract. Crim. c. 78.* Carpzov. *Pr. Crim. q. 32. n. 38.* quos adduxi-  
7 mus *Traët. de Jure hortorum §. 41.* Hunc verò minimè;  
nisi forte armatus custodem invaderet, eique vim in-  
8 tentaret. Vid. Carpzov. *d. l.* Aliàs custodi furem pi-  
gnorare, pignusque ablatum judici offerre licet, quo  
fur convictus pœnam luat.

## III.

9 Præterea noctu custodiri solent agrorum fructus  
10 contra ferarū, cervorum puta, aprorum &c. greges, sege-  
tes, vineas, vel agros depopulantes. Permissum autem esse  
volunt **das Abscheuchen** / non verò, **das Niederfellen.**  
Regner. Sixtin. *de Regal. lib. 2. c. 18. n. 77.* ubi de consue-  
11 tudine Germaniæ loquitur. Jure autem, si non con-  
suetudine, rectè alii licitum esse statuunt, nocentes ac

vā-



37.

vastantes feras interficere. Medic. de venat. p.1. q.11. n.4.  
Mohr. de venat. P.1. c.8. n. 22. Vid. Merckelbach. apud  
Klock. vol.1. conf. 30. (quod est in Corpore juris Venatorio-  
Forestalis, proximè à nobis edendo, part. 2. in ord. consil. 3.)  
Vid. variorum Principum ordinationes, Das Abscheuchen  
des Wildes betreffende / in dict. Tract. Part. III.

IV.

Quemadmodum agrorum, ita & hortorum fru- 12  
ctus nonnunquam custodiuntur, & quidem à singulis,  
qui hortos possident.

Iis autem in locis, ubi arbores frugiferae in agris 13  
plantatae sunt, ut circa tractum Rheni, & alibi vidimus,  
communes custodes eorum constitui solent. Vid. d.  
Tract. nostr. de jure Hortor.

V.

Præterea si ulla res est, quæ diligentem inspectio- 14  
nem ac custodiam desiderat, certè sylvæ sunt: quanta e-  
nim earum necessitas ac utilitas, tam perniciofa etiam  
earum est devastatio. Quapropter ubique ordinatio- 15  
nes forestales, (Forst- und Holz-Ordnungen) haben-  
tur, quarum non paucas in Corpore Juris Venatorio-Fore-  
stalis, Part. III. exhibuimus, quibus damna sylvarum  
præcaventur, ac data puniuntur.

Solent autem sylvis custodes apponi, qui saltuarii, 16  
Förster / Forst- oder Holz-Knechte appellantur. De  
quorum officio Ordinationes forestales consulendæ.

Jus autem adponendi custodem vel saltuarium est 17  
jurisdictionis. Knichen. de superior. territ. c.3. n. 359.

Nō tantum enim Princeps, cui Regale jus foresti com- 18  
petit, sed & Vasallus deputare potest saltuarios, ut à trans-

E 3

gres-



gressoribus poenas, si damnum datum fuerit, exigant.  
Lud. Moret. *Resp.* 20. *num.* 6. quem refert Knichen. *d. l.*  
*num.* 362.

## VI.

19 Præterea sciffa ligna, das Floß/Holz / dum in flu-  
mine de loco ad locum transportantur, wann gefloßet  
20 wird / per certos homines custodiri solent. Cùm e-  
nim ligna periculo subtractionis subjaceant, periculum  
illud per appositionem custodum, der Floß / Wächter /  
avertendum, & quidem sumtibus ejus, qui jus grutiæ, ut  
vocant, das Floß / Recht exercet. *Vid. Tract. nostr. de Re-*  
*gal. jure Grutiæ. cap. penult.* (qui jam extat in *Corporis*  
*juris fluviatrici nuper edito, part. 1.*)

## CAPUT XI.

DE QVIBUSDAM EX-  
TRAORDINARIIS EXCU-  
BIARUM GENERI-  
BUS.

## SUMMARIUM.

*Excubie extraordinariae quæ? n. 1.*

1. *Nundinarum tempore instituuntur. n. 2. & 3.*

2. *Inter solemnia nuptiarum, sepultura &c. Principis,*  
*num. 5.*

3. *Ob metum pestis in portis constituuntur excubie, n. 7.*  
*& seq.*

4. Ob

4. *Ob incendiariorum, Zingarorum, diffidatorum me-  
rum. n. 9. & seq.*

5. *Ob metum invasionis hostium. n. 11.*

6. *Ob exortum incendium extinguendum. n. 13.*

*Adducitur Ordinatio Prov. Saxo-Gothana. n. 14.*

I.

**N**ON raro in Rep. casus accidunt, in quibus extra or-  
dinem excubiæ instituuntur. Inter extraordinarias  
autem excubias sunt I. quæ nundinarum tempore inter-  
diu, in portis civitatis, vel in foro & plateis per noctem  
habentur. Cum enim nundinarum causâ multitudo  
hominum peregrinorum confluere soleat, & facile per  
eos turbæ & tumultus in civitate excitari, furta com-  
mitti, incendia oriri &c. possint, ad præcavendum ejus-  
modi pericula utile visum est, certos Viros eligi à Magi-  
stratu, qui dies atque noctes excubent, ac quævis me-  
tuenda damna avertere studeant. Hosce autem vigiles  
vel Magistratus publicâ mercede conducit, vel operam  
civibus injungit.

II.

II. Quæ inter solomnia publica novi adventus, nu-  
ptiarum, sepulturæ &c. Principis instituuntur. Ob  
magnum enim hominum confluxum, qui occasione  
harum solumnitatum fieri in civitate solet, necesse est,  
plures custodias institui, ut eò magis tuta sit civitas,  
Principis aula & Comitatus. Excubias autem hæc  
vel cives ipsi, vel milites Principis, vel rustici, qui sunt  
in delectu, die im Land, Ausschuss seind / agere solent,  
suis vel communitatis vel Principis sumptibus, juxta cu-  
jusque loci usum & observantiam.

III.



7 III. Quæ ob metum pestis aut contagionis in vici-  
 niâ grassantis, in civitatum portis constituuntur. Ita  
 8 enim non tantum in Italiâ, Galliâ aliisque Regnis, sed et-  
 iam in Germaniâ nostrâ servatur. Eliguntur autem in  
 benè constitutis Rebuspublicis certi Viri, qui viatores  
 examinant, an è locis contagiosis vel puris adveniant,  
 testimonia publica ab iis exigentes.

## IV.

9 IV. Quæ ob metum diffidorum, incendiariorum,  
 item validorum mendicantium, ac Zingarorum arden-  
 10 dorum gratia, in civitatibus ac pagis habentur; cu-  
 jus generis excubiæ diurnæ ac nocturnæ hodiè sanè  
 maximè necessariae sunt, cum quotidie ferè audiantur  
 tristia scelerum ac incendiolorum exempla.

## V.

11 Quæ tempore belli ob metum invasionis ac de-  
 prædationis hostium in civitatibus, villis, pagis & agris  
 12 usitata. Sic in superiore funestissimo Germaniæ bel-  
 lo agricolæ excubias agere solebant in campis, ne inter  
 arandum equi vel boves à militibus prædonibus rape-  
 rentur. Es wurden hin und wieder Hege-Seulen/  
 Stangen/Speculæ, Hügel/und dergleichen uffgerich-  
 tet/und bey Annahung der Reuter denen Ackerleu-  
 ten zur Salvirung oder Flucht, / ein Zeichen ge-  
 geben.

## VI.

13 Excubiæ ob exortum incendium constitu-  
 14 tz. Cum enim occasione incendiolorum rapinæ ac fur-  
 ta sæpissimè committantur, turbæ etiam in populo-  
 sis

41.

sis civitatibus non rarò exoriantur; præterea extincto incendio cavendum sit, ne flamma nova ex cineribus enascatur, custodes in loco incendi adponi solent. *Vid. Ordinat. Provinc. Gothan. cap. 4. §. 1.* ubi dicitur: Wenn <sup>15</sup> die Feuersbrunst/vermittelst göttlicher Verleibung/und durch möglich angewanten Fleiß wiederumb gelöscht ist / sollen die Brandstätte von gewissen dazzu verordneten Personen bewachtet werden/ bis man sich von denen noch vermutlich Feurhaltenden Bränden anderweitiger Gefahr nicht mehr zu besorgen hat. &c.

## CAPUT XII. & ULTIMUM DE EXCUBIIS MILITARI- RIBUS.

S U M M A R I A.

*Excubie militares quæ? n. 2. olim quomodo divise?  
n. 4.*

*De excubiarum loco. n. 5.*

*Tessera militaris quid? n. 7. Circuitio excubiarum duplex. n. 8.*

*Cura excubiarum cui incumbat? n. 9.*

*Delicta circa excubias commissa, quomodo puniantur?  
n. 10. & seqq.*

I.

**H**Actenus de excubiis & custodiis civilibus; ultimo loco perpaucis de excubiis militaribus agemus, quæ nihil aliud sunt, quàm sollicitæ hostium observationes, à præfectis vigiliarum militibus injungi solitæ.

F

De

3 De iis agitur in des heil. Röm. Reichs Reiterbes-  
 stellung/de anno 1570. art. 72. 75. & seqq. & Fußknechts-  
 bestall. art. 35. 36. & seqq.

## II.

4 Coeterum militares excubiæ, præsertim nocturnæ,  
 olim dividebantur in quatuor ternarum horarum spatia,  
 ita ut primæ, secundæ, tertiæ, quartæ dicerentur. vid. Li-  
 psius *de milit. Roman. lib. 5.* & ex eo recentiores alii.  
 Quomodo hodiè instituantur, vide cum primis apud Bö-  
 clerum, in Scholâ milit. *class. 35. von Wachten.*

## III.

5 Circa excubias hæc notantur I. *Locus*, ubi habentur.  
 Solet scilicet ædificium aliquod exstrui in foro, vel  
 medio castelli, ad capiendum excubias principales, die  
 6 *Haupt-Wacht* / quod dicitur *Corps de garde.* Excubi-  
 æ autem minus principales, die *Schild-Wacht* / in  
 vallo, vel aliâ parte urbis aut fortalitii constituuntur.

6 II. *Tessera militaris*, vulgò, die *Lösung/das Wort* /  
 quæ hodiè in aurem insusurrari solet. vid. Böcler.  
*d. tr.*

8 III. *Circuitio excubiarum*, quæ vel ordinaria, vel ex-  
 traordinaria. Illa est excubiarum principalium, der  
*Haupt-Wacht* / hæc extra ordinem à Ducibus bellicis  
 vel aliis Capitaneis expeditur. vid. Böcler. *d. tr.*

## IV.

9 Coeterum cura & inspectio Excubiarum militari-  
 um incumbit Præfecto excubiarum, dem *Wachtmeis-  
 ter* /

ster /cujus officium est, excubias ordinare & educere, tes-  
seram militarem clam distribuere, excitato tumultu ex-  
ercitui indicere, quo loco concertatio fieri debeat. Vid.  
Besold. *Thes. Pract.* v. *Wachtmeister.* & Böcler. *d. Tr.*  
*class. 3.* Carol. à Mansfeld. *in Magister. Militar.*

V.

Quod attinet Excubiarum negligentium poenas, 10  
sciendum, I. quod miles per somnum excubias negli-  
gens capitaliter plectatur. *Fußknechtsbest.* de anno 1570.  
*art. 39.* ibi: Da einer auff den Schild/Wachen schlaf-  
fend befunden würde / der soll an Leib und Leben / ohn  
alle Gnade gestrafft werden. Add. *Holland. Kriegs-*  
*Recht. art. 27.* *Schwedisch Kriegs-Recht. art. 43.* ubi  
idem cavetur. Admittitur tamen nonnunquam poe- 11  
næ temperamentum, si miles ægrotus fuerit, vel ultra  
tempus destinatum vigilaverit &c.

II. Quod miles, per extremam ebrietatem ad ex- 12  
cubias se inidoneum reddens, aut armis non instructus  
ad eas accedens, arbitrariè sit plectendus. *Fußknechts-*  
*bestall. art. 57.* ibi: Wann einer uff der Wacht trun-  
cken begriffen würde / also / daß er seine Wacht nicht  
nothdürfftig versehen kan / der soll alsbald mit den Eys-  
sen / und sonst nach Erkantnis des Obristen ge-  
straffet werden. *Reiterb. de anno 1570. art. 76. & 78.*  
*Holl. Kr. R. art. 58.*

III. Quod excubias planè deserens extremum sup-  
plicium



OK III 472

44.

plicium patiatur l. qui excubias 10. ff. de re milit. Fuß  
knechtsbestall. art. 37. Holl. Kr. Recht. art. 28.

Reliqua vide apud Böcler. in Corpore jur. mili-  
tar. d. Tr. Pappum. in commentar. ad Holland.  
Kriegs-Recht. Burgerf. decis. militar.

F I N I S.


DEO OPTIMO MAXI-  
MO SOLI GLORIA.



VOT M.C.







**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

**KODAK Color Control Patches**

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black